

Gottlob Friedrich Seligmann Gottlob Voltz

Ideam Studiosi Polymathesteru, Ad Altiolem Sapientiam Aspirantis, breuiusculis Thesibus comprehensam


Rostochi[i]: Richelius, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732447208>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1685



Q. F. S.
I D E A M
S T U D I O S I
Π Ο Λ Υ Μ Α Θ Ε -
Σ Τ Ε Ρ Ο Υ,
A D A L T I O R E M S A P I E N -
T I A M A S P I R A N T I S,

breviusculis Theſibus comprehenſam,
Superiorum permiſſu,
P R Æ S I D E

V T R O P L U R . R E V E R . E X C E L L E N T I S S . A M P L I S S .
D N . G O T T L O B F R I D E -
R I C O S e l i g m a n n /

Metaph. & Phyſ. Prof. Publ. Templi Cathedral. ArchiDiac. ap.
Lipſienſ. adhuc Ducali Collegiat.

D n . P r æ c e p t o r e a c C o n t e r r a n . S . h o n o r a -
t i s s i m o ,

publicæ benignæq; Eruditorum cenſuræ

I N M A J O R I A U D I T O R I O

ad diem 11. April. Anno M DC LXXXV.
exponet

Autor & Reſpondens

Gottlob Volk / Zittâ-Luſat.



R O S T O C H I ,

Imprimetbat JACOBUS RICHELIIUS, Ampliſſ. Senar. Typogr.

1085

QUATUOR VIRIS

longè celebratissimis observantissimèqve colendis :

Qui sunt

MAGNIFICUS h. t. ACADEM. RECTOR,

VIR Maximè Reverend. Ampliff. atqve Excellentissimus,

DN. FRANCISCUS WOLFFIUS,

D. & Prof. Theologus, atqve ad D. Mariæ Pastor
venerabilis,

SENIOR CIVITATIS CONSUL,

VIR Magnificus, Nobilissimus atqve Excellentiff.

DN. MATTHÆUS Stebeheer/

Ictus Magnus; idemqve Syndicus;

FACULTATIS quoqve MEDICÆ SENIOR,

VIR Nobiliff. Excellentiff. atqve Experientiff.

DN. JOH. BACMEISTERUS,

Medicin. D. Ejud. & Superior. Mathem. Profess.
Inclutus;

PHILOSOPHICÆ tandem FACULTATIS
ASSESSOR,

VIR Pl. Rever. atqve Excellentiff.

DN. GOTTLOB FRIDERICUS

Seligmann/

Metaph. & Phys. Prof. Templi Cathedral. ArchiDiac.
ap. Lipsienf. adhuc Ducalis Collegiatus :

Dnn. Patronis, Promotoribus ac Præce-
ptoribus suis Optimis,

Thefes hæc de Πολυμαθ. Studios. Theol.

quâ fas est cum submissione atqve
cultu consecrat

A. R.



J. N. N. O.



I.

Studiosum de iis lubentissimè disserere, quæ pervolvenda atque animo probè imprimenda habeat, eò minus mirum est, quò certius hæc inter homines Consuetudo obtinet, ut de iis quisque cum voluptate quâdam singulari loqvatur, quibus studia sua conatusque per vitam maximè addixit; quemadmodum sic novimus, de ventis navitam narrare, enumerare militem mera vulnera.

II.

Integrum esto mihi, hos mores, si suos intra cancellos subsistant, non omnimodis forte improbandos, h. I. imitari, & cum metam labori meo Theologiam, altissimam illam Sapientiam præfixerim, simulque adverterim hæcenus, citra cognitionem rerum variam, ad ipsam rite commodèque perveniri haud posse; quales illæ res sint, utque comparata earum notitia esse debeat, breviusculas per Theses liceat dispicere. Nam sicut magna pars Eruitionis censetur, nosse bonos Autores, hosque perlustrandi genuinum modum non ignorare; ita nec infamam ejus partem judicaverim, nosse illa, quæ sciri debeant, & quâ Methodo sciri optimè possint, perscrutari.

III.

Nimirum vanum iter est, cui certus quidam scopus

A 2

NON

non est propositus; vana studia, quæ non vident, quò col-
lineandum tandem sit. At scopo rectius determinato
velut iter non sine fructu varias ad loca à latere excursio-
nes admittit; sic studia, quid agendum denique veniat,
in antecessum prospicientia, non admittunt tantum, sed
fere postulant digressiones ad alia, cum cura atque cauti-
one institutas.

IV.

Derivanda est causa partim ab ipsis scientiis, harum-
que præcipuè nexu, partim à genio hujus seculi. Scien-
tias quòd attinet nexumque earum, nemo, opinor, inve-
nietur, qui negabit, inter se illas, in suo hemisphærio si spe-
ctentur, sororio velut vinculo copulatas esse, ita, ut altera
alteri manus jungat, unitæque omnes feliciter expediant
id, quod abs cupido Cultore intenditur. Hinc natae tot
tentatae passim disciplinarum catenæ, quarum speciem
aliquod deprehendere licet in Philosophi acutissimi, Dni.
Erhardi Weigelii *Idea totius Encyclopæd. Mathematic. Philo-
soph. Membr. II. de Praxi demonstrationum conjunctarum.*
Neque etiam tam semotæ illæ sunt abs τῶν ἁνωτάτων καὶ
θειωτάτων Sapientiâ, ut planè nullâ cum hac gaudeant
communicatione. Venerantur enim eam, ut summam
Principem, dū de parendi interim ac serviendi gloria ipsæ
sibi gratulantur. Unde & nota sunt Philosophiæ ancillan-
tis, fervientis, nomina. *De quibus præter integr. Tractat. vi.*
de B. B. Meißner. in Philos. Sobr. quæst. general. Membr. 3.
Imò, quod majus est, comprobant usum suum, sed ritè
temperatum & adplicatum, inferiores istæ in illis superi-
oribus atque altioribus, ceu observatum idem à Viris Ma-
gnis hinc inde reperimus, inque subsequenter pro tem-
poris ratione docebitur. Impræsentiarum prævocasse
sufficiat ad *Vindicias B. Drechsleri Schürmannianæ Dissertatio-
ni. de Ἐκκλησιᾷ ἐκτάτ. oppositas à p. 49.* Sic scientiæ di-
grel-

gressiones (una descendendo ad alteram) amant, sic usus, pluribus conspicuus, easdem requirit ac desiderat.

V.

Sed arrident eæ seculi quoque genio, cui testimonium evidens perhibet experientia; quâ duce asserimus, vix æstimari illos hodiè Studiosorum splendido nomine per omnia satis dignos, quos curiosa plurium notitia non efficit commendabiles. Idque vel ideò, quod his temporibus ad fastigium ferè sint evectæ bonæ artes & scientiæ, & quod *multo faciliori nunc, quam olim, negotio, quid in quovis serè Europa angulo Eruditorum ingenia moliantur atque præsent; cognosci cuique possit; ceu loquitur Præfat. Excellentiss. LIPSIENSIUM Actus Eruditor. Ann. LXXII. publicat. præmissa.* Turpe igitur non immeritò iudicatur, & studiis addicto haud conveniens, nescire, quod patefactâ & planiori redditâ viâ quibusvis haud difficulter adeò addisci valet.

VI.

Nec excludendum hic innatum omnibus sciendi desiderium; quod eò minus præterire licet, quò clarius ubi vis se considerandum sistit. Ejus impulsu novimus dulciora semper & priscis nova & rara solitis haberi, celebrarique cantilenam magis, quæ Auditoribus est recentissima. Ejus ergo impulsu etiam fieri non dememinimus, ut in res plures indagandas feratur omnis, proin Theologiæ quoque, Studiosus. *Videantur interim de novis dicta in Diss. Excell. Rechenberg. de Novitat. in Republ. Noxia sub fin.*

VII.

At subit mentem, ubi novorum præcipuè mentionem injicimus Plutarchi monitum de curiositate: *Nuncio, invenientis, aliquo veniente, non occurras, neque assurgas amico aliquo dicente: habeo aliquid novi quod tibi dicam,*

respondeas: malim utile aliquid & conducibile. Nec fugit animum Anaxarchi assertum à Vossio de Philosophia c. 1. §. 3. adductum: Polymathiam multum quidem juvare Possessorem suum, si digno obtigerit; sin indigno, etiam obesse: atqui hujusmodi fore, qui, nullo habito discrimine, effutiat, quæcumq; didicerit. Qualis quid aliud facit, quàm si fidem præbeat graculo, amaracinum sui? Quod utrumqve dum mecum perpendo, non quaslibet laudo ad alia studia digressiones, sed eas tantum, quæ ad scopum, atqve hinc ad Theologiæ promovendam feliciter culturam, faciunt, nec sunt ineptæ i. e. in gratiam fallendi potius utcunqve temporis, quam expoliendi, ut fas erat, ingenii susceptæ.

VIII.

Meritò igitur ad Medium, quod beati, ut aliàs, ita & hinc in loco, tenere semper, tenentqve, respicere jubentur, qui istis, ceu debebat fieri, non sine commodo invigilare discipiunt. Observant verò illud, quibus subordinatio discendorum curæ est ante omnia, isthac Methodo, ut, quæ principem laborem propius attingunt, studiosius percenseant; quæ remotius, fugitivo saltem lustrent oculo ac perfunctoriè considerent; videantqve de cetero, ne obruant confundantve mentem.

IX.

Atque id quidem in Theologiæ Studio dum perpendere propositum est, quid moramur aditum ad res & disciplinas ipsas, quibus imbuendum eum esse credimus, si nomen sibi πολυμαθής, ad altiora aspirantis, polliceri velit? Facimus initium abs Studiis GRAMMATICIS. De quibus graviter monentem B. Chemnitium, Theologorum illud decus, & lumen omni commendatione majus audire quis gravetur? Sic autem ille: Ecclesiam tantum debere esse Grammaticam, hoc est, non debere fingere res novas, aut nova dogmata gignere, sed ea, quæ à Spiritu S. tradita sunt, debere

10
debere discere ex genuina significatione vocabulorum, quibus
in tradendâ doctrinâ cœlesti Scriptura utitur. Et rursus,
in doctrinâ Justificationis nostræ gratuitæ: Amisâ verâ
Grammaticâ statim extincta est lux purioris doctrina: Et
cum nostro tempore restitueretur vera Grammatica enarratio
in hoc loco, rursus restituta est puritas doctrina. Nec possu-
mus custodes esse doctrina hujus loci divinitus repurgata, nisi
Grammaticam discamus Et amemus. Tàm sunt necessaria
Studio Nostro studia Grammatica. Vid. plur. B. Glass.
Præf. Grammat. Sacr. præmiss. unde & elogium & asser-
ta B. Chemnit. depromimus.

X.

Et obtinet quidem illa necessitas præcipuè, ut alle-
gata quoque verba satis docent, in Lingvis S. Cod. authen-
ticis. Ebraam volo, quæ V. & Græcam, quæ N. est T.
originalis. De Ebræa prolixè agit Excellentiss. Opitius,
Maximè Rev. Wasmuthii Epitomator, in Consilio, de stu-
dio Hebræo ritè instituendo & feliciter absolvendo;
quod, cum in plurium sit manibus, videri facillè potest, &
meretur quoque; quandoquidem præter Patrum Docto-
rumque Ecclesiæ judicia huc pertinentia, candidè omni-
nino monstrat, quâ viâ deceat incedere eum, qui operam
huic lingvæ nolit impendere frustraneam. Si quis verò
de antiquitate, Integritate, &c. hujusdem lingvæ non-
nulla expetat, eum, cum per chartæ horarumve spatium
multa hîc exscribere non liceat, ad Polymath. Theolog.
B. Kromeyer. & Part. quidem I. initialia ablegamus.

XI.

De Græcâ Lingvâ conferendos esse censuerimus
præter Grammatici studii Magistros, passim reperiundos,
quoad ipsam linguam Königium in præfat. quâ partem
III. Notar. Hackspan. Viris de Eccles. J. C. optimè meritis de-
dicavit; & B. Dannh. præcipuè, Hodof. p. 40.; qui poste-
rior

rior in compendio, de Hellenistica titulo, hæc habet: Ipsam (hellenisticam linguam) requirebat utriusq; Testamenti compositione ad faciliorem informationem composita. Unde N. T. in nullam linguam tam facile & à verbo ad verbum transferri potest, sicut in Hebraeam &c. Vid. ipsum c. I. contra Pfochenium deinceps agentem. Add. B. Scherzer. System. L. I. §. 14. & Excell. Roseti N. Prof. Weissium in Orat. Inaugural. de Græcâ Lingu. N. T. Authent. Innotescet ex omnibus quam verus sit Aphorism. à B. Strauchio, Præcept. post mortem etiam venerand. in *Pedia Theol.* his dictatus verbis: *Ad Demosthenis & aliorum Atticorum Scriptorum loquendi formulas omnes N. T. dictiones & Phrases examinande quidem non sunt, nec putandû tamen peculiarem prorsus linguam esse, & ab ea, quâ reliqui origine Græci usi sunt, distinctam, in quâ LXX. interpretes & in primis Evangelista & Apostoli scripserunt. Ceterum prætermittimus, quod ex Taubmanno idem de Monacho refert insulso, qui noviter ab Hæreticis reperi tam linguam Græcam credidit. Diu enim in his subsistere nobis nunc non est integrum.*

XII.

Notamus potius, extendere se necessitatem Grammatices ad alias quoque linguas; licet non pari gradu. Spectantque huc, Chaldaica, (tùm propter ipsos fontes. v. B. Scherzer. System. L. I. §. 13. tum propter Paraphras. Chaldaicas &c. V. B. Meissn. Disp. II. præcognit. Theolog. de Adminic. Stud. Theolog. Th. IV.) Syriaca, (tùm propter vocabula in N. T. reperiunda, de quibus nuper sub Excell. Svantenij Præs. disputavit Cl. Varenius, tum propter Versionem Syriacam, quæ Apostolicæ Autoritatis quibusdam dicta fuit, teste B. Strauch. c. superius Mss. Aphor. XII.) Arabica (propter multa præcipuè vocabula Ebraica, quorum Radices Ebræis incognitæ in eâ reperiuntur) &c. Audiuntur de his omnib. passim ii, qui Methodum scripsere

Sta-

116
Studii Theolog. Ex quibus etiam, quid ratione Lin-
gvarum Occidentalium, hinc inde usitatarum, quas om-
nes recensere nunc non possumus, sentiendum sit, licet
discere. Placet interim asserere B. Strauchii iudicium,
quod *harum Lingvarum cognitio ad gradum tantum altio-
rem faciat*; ut habent verba eius sub fin. Aphor. XII. Pædia
jamjam citat. Alia est ratio Latinæ, (quæ, ut Priolus lo-
quitur *in Dedicat. ad Venet.* conditorium est & manet Sci-
entiarum) Germanicæq; ac, nostræ Vernaculæ, Lingvæ, quæ
abs dicturo quondam coram populo temperari ritè, ac
proinde excoli omninò debet; velut benè monuit B.
Meisn. in Disput. de Admin. Stud. Theol.

XIII.

Ad has lingvas omnes studii Grammatici necessitas
extenditur, nî videatur ultima (Vernaculam N. innuo) ex
parte fortassis excipienda; quippe quam primus confe-
ctum loquendi usus instillat, & cauta accuratiores audiendi
& legendi ratio sic satis perficit. Si tamen dandum ali-
quid est quorundam desiderii & inceptis, malim recep-
tam doceri scriptionem ac locutionem, quàm novis in-
ventis, communem adplausum vix merituris, sinistra alio-
rum in se derivare iudicia. De reliquis confecta res est.
Sic pro Ebræa B. Geierus, *in observat. ad S. Ebrææ L. Stud.
facilior. sernentib. aditum, Bigæ dissertat. in Gen. III. 15. &
Jes. LIII. 9. 10. subjunctis n. VIII. : Grammatica, inquit, cogniti-
onem negligere velle, ex quorundam placito, est navem permit-
tere solis ventis, non curatâ pyxide nautica.* Quod ipsum as-
sertum quis non affirmet mecum, pariter spectare ad Græ-
cam? Quæ verò Grammaticæ ante alias mereantur lau-
dem, nos quidem jam determinare non audemus; qui-
bus interim sufficit, Wasmuthianam Hebræam, unà cum
Opitii Atrio, & Welleri Græcam hæctenus abs non paucis
commendari quàm maximè. Orientalibus de ceteris
B conf,

conf. laudatum supra Excell. Opitii Consil. à p. 29. Adde quoad ipsam Methodum tractandi Grammat. & instituendi Exercitation. allegatas modò B. Geieri Observat. Ubi tamen non negligi velim hoc, quod *monente B. Strachio c. l. Aphor. XI. in cuius ceteris Autor. huc facientes plures allegat*, omnino advertendum, ita dare operam Nostrum *Lingvis, Græca præsertim & Ebraica debere, ut in nudis Præceptis Grammaticis nequaquam acquiescat, ut habeat quoque Critica Biblica rationem, sicque Lexicis discat uti & Concordantiis accuratioribus* (de quarum usu videndus B. L. Glauchii Tr.) *similibusque Studii Exeget. adminiculis.*

XIV.

Latinam Linguam quod attinet, non desunt, qui usu ipsam addisci valere, sibi persuasum habent, at, respondente minus successu, præcipuè ad ornatum si dirigere oculus velimus. Aliis grata sunt compendia, sæpe tamen *dispensia*. Aliis, nescio quis, novus instillandi modus arridet, haud tamen adeò ab iis, qui penitius rem dijudicare didicerunt, adprobatus. Nos censuram, cui parem hancce mentem non esse, fatemur lubentissimi, haud immeritò subterfugimus; interim id non negantes planè, infeliciora fermè Latinæ Lingvæ fata, quàm aliarum dici posse, quod hæ brevioribus inculcari soleant temporis spatiis, dum illa postulasse visa fuit longè ampliora. Cui moræ tamen quorundam ire obviam præcepta animadvertimus, quæ naturali Methodo à simplicissimis ad combinanda subinde magis composita procedere intendunt; jure proin collaudanda. En! interim vel ex his, quam postulet abs Nostro industriam atque Attentionem studiù Grammatici necessitas,

XV.

Vocat ORATORIA; idcirco curiosè excolenda, quod magnum in ipsâ momentum inveniat Studiosi, etiam
Theo-

Theologia, commendatio. Sive enim publ. aliquando ad dicendum de sacris rebus surgere jubeatur, sive obvenerit occasio privatim de rebus differendi aliis in Eruditorum conspectu Virorum, non parum utroque debet Oratoriæ cautiùs tractatæ. Utinam eò semper ducerentur politiora ingenia, ut vitæ loqui i. e. talia profari discant, abs quibus & Christianus & Civis bonus promittere sibi ædificationem possit! Confert huc multum emolumentum Eloquentia in tacendo abs Nobiliss. Morhof. *Kilon. sub Anni hujus init. publicijuris facta*; quam *Prudentiam* dicit illam Oratoris, quæ id solum quod in Oratione *επιτηδεύει* est, exprimit, ea verò, quæ vel circa inventionem, vel circa elocutionem *περὶ τὴν ἑρμηνείαν* sunt, aut superflua; ab argumento, Personis, loco, tempore, re aliena, aut quovis modo inepta, emittit aut indicta esse capit. vid. Dissertat. p. 4. n. III. ubi & istud Ciceronis de Claris Oratorib. allegat, leges: *In omnibus videndum quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum.* Digna ipsa est, quæ legatur, relegatur tota; nam suggerit plura artificia, non injucunda, non inutilia Cultori Oratoriæ, qui si speciatim de Homileticis edoceri vult, ut debet, haud exiguos sentiet profectus, ubi diligenter evolverit B. Carpzov. Hoddeget. abs Maximè Rev. Filio auctum ante aliquot annos egregiis de Variatione Præceptis. Et, cui est ad manus Manuductio B. Strauchii in Pædia, ei accepta erunt, quæ de Autoribus ille monet Aphor. XIII.

XVI.

Sed tempus est, PHILOSOPHIAM ut attingamus, quæ tantum abest, ut contraria sit Studiosi N. Principali scopo, ut potius eidem obtinendo apprimè utilis censei mereatur. Conf. L. Georg. Meieri, Rev. Luneb. Minist. Senior. *Metaphys. Usual. Divin. in Dedicat.* Demonstrat id confestim LOGICA, quibusdam *ars intelligendi* dicta; quæ

sine ut disciplinarum ac scientiarum nulla, sic nec ipsa sapientia altior solidè satis pernosci potest. *U. B. Kromeyer. Polymath. p. 228. ubi cap. extat integrum de Usu Logica in Theolog. nobis ab ipsâ Script. commendato.* Neque sufficit naturæ vis in Logicis operibus sæpissimè observata, cum nunquam illa valeat ad eam assurgere perfectionem, ut addere majora semper ars rectius perpolitata nequeat. De Controversiis tamen Logicis, quibus abundant hinc inde Scriptores, id arbitror, negligi eas non rarò citra damnum, dummodo non negligantur futuris usibus destinanda: qualia sunt Regulæ intellectum in percipiendo, judicando ac ratiocinando dirigentes; quas circa maximè decet occupatum esse in Logicis Studiosum N.

XVII.

Excipit Logicam METAPHYSICA, cujus usus, in respectu ad Theologiam Ministerialis, abs laudato superius Dn. L. MEIERO his forte determinationibus continetur, quod sit 1. ἐξηγητικὸς verseturque in terminorum explicatio-
ne. Sive enim, inquit, *Biblicos* respicias terminos, quos αὐτολεξὲς in scripturis deprehendimus, sive *Ecclesiasticos*, qui non κατὰ τὸ ῥῆμα, sed κατὰ διάνοιαν tantum in scripturis occurrunt, in utroque genere dantur nonnulli, quos sine ad-
miniculo Metaphys. non accuratè satis explicare habet Theologus. 2. κατασκευαστικὸς, in *questionum confirmati-
one* consistens. Non verò indigitat hic, ut vox ejus habet, *questiones summa fidei mysteria exhibentes*, quæ captum hu-
manæ rationis transcendunt, sed *mixtas*, ad quarum noti-
tiam intellectus humanus potest assurgere. 3. ἀνασκευασ-
τικὸς, *refutationi inserviens adversariorum*; quando nempe
falsa hæreticorum sententia ex domestico Theologiæ
principio, satis primum refutata est, posse subungi docet
refutationum pondera ex Metaphysicis &c. *Vid. ipsum
in Metaphys. divina Usual. quam ob usum hunc Reginam Mi-
nistrum*

nistram inscripsit, p. 10. Plura lege de hac re ap. B. Scherzer. Fascic. Dissertat. Theolog Disp. II. p. 5. &c. Et attende insimul cautelas genuinæ prudentiæ, quæ volunt, ne vel vis inferatur veritati, vel adversariis præbeatur scandalum. *Conf. iterum Meier. c. 1*

XVIII.

Et de PNEVMATICA quid dicendum est, quæ naturalem inquirat ac exponit de DEO, Angelis, ac Mente nostra notitiam, in tres has proin partes, Theologiam, Angelologiam & Psychologiam naturalem, distributa. Sanè quo clarius ab ipso Apostolo ad Naturalis hujus cognitionis ponderationem manuducimur, eò minus disciplina hæc, præstantiam suam undiquaque monstrans, prætermitti potest. Vigilandum saltim est Nostro, ne somnia, quæ h. l. se obferunt variorum, in somnum quoque ipsum dent præcipitem.

XIX.

MATHESIS aurem vellicat, quæ in annis & temporibus supputandis locisque delineandis, suam comprobat industriam. Hinc Chronologia, hinc & Geographia suis est laudibus & encomiis decoranda. Et in Chronologicis quidem varia publicavit, ut alios jam taceam, B. Strauchius, cujus dubia Historica & Chronologica, item dissertationes de Computis, & Anno Ebræorum Ecclesiastico circumferuntur. In Geograph. præcipuè sacris, brevis est, sed elegans libellus B. D. Johannis Qvistorpii, quem inscripsit Nebo, unde Tota perlustretur Terra S. ut si leam Adrichomium aliosque. Profanam Geograph. satis nervosè delineavit Celeb. Becmann. in Histor. Orb. Geograph. & Civil. quæ à pluribus non sine fructu pervolvitur.

XX.

Properandum est, cum properante tempore, ad
B 3 PHY-

PHYSICAM, Studioſo noſtro perneceſſariam; non tantum ideò, quod multa ſint in Scripturis naturalia, quorum declarationem expeditius molietur, qui Phyſicam intelligit, nec ideò ſolùm, quod nonnulli adverſariorum abutantur naturalibus, adplicando ea ſæpius ad id ad quod vel nullatenus, vel alio ſpectabant modo, unde B Keslero Phyſica Photiniana nata (quæ rationes ſat prægnantes ſunt) ſed & ideò, quod ad devotionem excitandam non parum faciant interdum Phyſicalia: ceu demonſtravit, præter alios, Vir perquam Rever. & Clariff. Chriſtianus Sriverius, librum edens meditationum incidentium, verna culâ Lingvâ ſcriptum, *in quò, B. Thomaf. judicio, cui Boni non poſſunt non omnes adplaudere, cum pietate ingenium, cum ingenio certare fecit eloquentiam. Omnino enim, addit idem, ita eſt, nihil in hõc aſpectabili cæli terræque ambitu eſt rerum etiam viliffimarum, quod non poſſit hominem, velut manu prehensum, eò ducere, unde cauſam habeat prædicandæ divinæ ſapientiæ, benignitatis, omnipotentia. Succeditque id ipſum penes omnes, modo nolint, quod excitatur, ſupprimere: quidni magis ſuccedat penes eum, quem Phyſices notiſſima ad talia meditanda reddit promtiorẽ. conf. Thomafian. allegat. & adde in gratiam rationũ priorum Bochart. Hierozoic. it. Franz. Hiſtor. Animal. & Urſin. Arboret. &c.*

XXI.

Seqvuntur MORALIA cum POLITICIS; quorum quoniam illa curatius conſiderata ex Naturæ fluunt Jure, hæc diſpiciunt de verâ Rempubl. adminiſtrandi ratione, inde fit, ut utraqve Studioſi Noſtri ſedulitatem ſolicitem. Moralia quidem, ut advertens, quâ evidentia impellat ad bonum rectæ rationis dictamen, cupidius perſpiciat efficaciorẽ longè revelati luminis impulſum, certiorẽque læſæ Conſcientiæ medelam, imò ut ſciat quandoque ex illis refractario homini pudorem injicere. Politica autem, ne in Republ. inque ſocietate vivens ipſe genuini Civis ignoret virtutes, ne lateant ipſum defectus hinc inde obvii, ut, ſi neceſſitas forſan poſtulaverit, ſui quoque animi ſententiam edifferere diſcat. Quid? quod
Poli-

Politiae Ecclesiasticae Constitutionem, ac Magistratus circa Ecclesiastica jus nequeat ignorare. Pertinet huc vitium PapoCaesareatus & CasareoPapatus, de quo utroq; vid. Disp. de Potestat. Eccles. sub Praesid. Magnif. Lehmann. Lips. à Cl. Hoffkuntz. habit. Ann. 76. in Praefam. ubi Autores prolixius isthanc rem evolventes allegatos invenies.

XXII.

Tot ac tanta lustrare jubet Philosophia. Nequit procul hinc esse HISTORIA; alter veritatis oculus. Est ea vel Ecclesiastica, quae Augusti B. Dannh. *Christeid. Protheor. p. 6.* vocatur, quia Augustissimo regno, sanctissimis auspiciis condito, servit; vel profana, quae isti famula adjungitur, utilemque praestat operam, si sit coetanea, ocularis, à παθῆς; praeterea utraq; selecta ab iis vitiis, quae historiam suspectam faciunt, redactis ad tria capita à Josepho Scaligero in Proleg. Euseb. Chron., ad παρορμάτω, σφάλματα, καὶ παρεργαζήματα; Lux inde vaticiniorum &c. evoluta in prudentiae religiosae conformationem, ut qui probe gesta legunt, probius legenda gerant, & svavi quaedam metamorphosi animos veteres, ut capiunt, induunt. Nam hic quoque verum istud Livii: *Hoc illud praecipue in historiae cognitione salubre ac frugiferum, omnis se exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque Reipubl. quod imitere capias; inde sedum inceptu, sedum exitu, quod vites &c:* Lege haec unà cum pluribus aliis c. l. p. 10. Sanè, si quid aliud, studium hoc historicum magnam requirit industriam ac cautionem. Illam in evolvendo, hanc in distingvendo Autores. Interim aliqua generatim nosse Nostro sufficiet, dum ea, quae ad Ecclesiae Constitutionem ullo modo faciunt, specialius habet indaganda. Sublevabit laborem B. Kromeyer. Ecclesia in Polit. & B. Bosii Schediasm. de Comparanda Notit. scriptorum Ecclesiast.

XXIII.

Atque haec omnia videntur talia, ut nisi haerere, quandoque etiam praeter spem, velit Noster, in iis sic satis versatus esse debeat. Restarent plura, nisi jam occupatum cernerem spatium his Meditationibus consecratum, hactenusque prolata, cum ad varias perducant materias, suscepto sufficere posse Exercitio crederem. Dicendum aliàs esset, praeter alia studia, abs quibus si non commodum singulare, certè delectationem haud inutilem expectare liceret, de favore πολυμαθῆσσευ hunc manente, deque claritate nominis, & certitudine Promotionis promptiori. Nec omittenda forent plura media, quam in ipsis Thesibus cuilibet rei subijci potuerit, ut sunt: provida peregrinatio, instructarum probe Bibliothecarum vi-

lita-

fitatio, curiosa conversatio cum doctis; addi mereretur oppositæ negligentiae indubitata ignominia &c: at, ut dictum, hæc vice & Chartæ & temporis Angustia jubet quiescere. Interim duo adhuc colophonis loco subjicimus. Alterum ad ipsam attinet Ideam, absolviturque verbis Excellentiss. Rechenb. in aliâ quoque Studiosi Ideâ sub honoratiss. M. Præsid. Patrocinio nî fallor adductis: *si Idea, quam exprimere heic instituimus, sit Idea, quæ paucis forte Studiosorum exemplis illustrari queat; non tamen vana umbra fuerit, aut res nauci,* Quin imò annitetur quisque bonus, ut quò plura videt suo animo imprimenda esse, si commendationem mereri cu piat, eò majorem adhibeat, ne planè nullam expleat partem, industriam. Alterum ad fructum ejusdem referendum, qui geminus est: Unus, ut sciatur, quantum nesciamus; alter, ut cum providâ magis cura rationes rerum inquirere studeamus. In quò utroque subsisto, DEUM precatus, ut excitet semper profutura Ecclesiæ suæ Organa! cujus de cetero bonitati me meosque conatus, tanquam pauperularum Musarum Tutori Optimo, submissè commendo, nullus, si mihi ipse adstiterit, de successu qualiumcunque laborum meorum, deque Mecænatum auxilio desperans. SIT OMNISCIO NUMINI LAUS & GLORIA!

Quas possat curas Studiosi sedulus ardor,
Si velit esse probus, dulcis Amice, doces.
Euge! bonus labor est; placeat FAUTORIBUS, opto;
Et Tibi fata, precor, prosperiora fluant!


Hoc brevi versu prolixum Amorem erga Præxim. Dn. Respondentem Suum, Thesium, de Polymath. Studios. Theologia, exiguum intra temporis spatium conscriptarum politum Autorem, cumulata inter negotia testari voluit, debuit, Ipsius conatibus faventissimus


P R Æ S E S.

Aspirans finem, mediis incumbat oportet,
His sine nam nulli copia finis erit
Exoptant multi Doctorum nomen habere;
Sed Polymathiam spernere sæpe solent.
Tu melius VOLTZI, tua Dissertatio monstrat,
Quod Polymathiam ceu Studiosus ames!
Maeste igitur cœptis, quibus usque fideliter insta,
Tunc illis, votum est, annuet ipse DEUS.

Hoc applausu de docto Domini A. R. ausu eidem congratulari voluerunt Ipsius

COMMENSALES.





the scale towards document

fit, p. 10. Plura lege de hac re ap. B. Scher-
bertat. Theolog Disp. II. p. 5. &c. Et atten-
detelas genuinæ prudentiæ, quæ volunt, ne
tur veritati, vel adversariis præbeatur scan-
iterum Meier. c. 1

XVIII.

EVMATICA quid dicendum est, quæ natu-
ac exponit de DEO, Angelis, ac Mente no-
in tres has proin partes, Theologiam, An-
Psychologiam naturalem, distributa. Sanè
o ipso Apostolo ad Naturalis hujus cogniti-
tionem manuducimur, eò minus disci-
stantiam suam undiqvaque monstrans, præ-
st. Vigilandum saltim est Nostro, ne so-
se obferunt variorum, in somnum quoque
æcipitem.

XIX.

SIS aurem vellicat, quæ in annis & tempori-
lis locisque delineandis, suam comprobat
Hinc Chronologia, hinc & Geographia suis
encomiis decoranda. Et in Chronologi-
ria publicavit, ut alios jam taceam, B. Strau-
bia Historica & Chronologica, item differ-
omputis, & Anno Ebræorum Ecclesiastico
ar. In Geograph. præcipuè sacris, brevis
s libellus B. D. Johannis Qvistorpii, quem
o, unde Tota perlustretur Terra S. ut si-
mimum aliosque. Profanam Geograph. sa-
lineavit Celeb. Becmann. in Histor. Orb.
Civil. quæ à pluribus non sine fructu per-

XX.

adum est, cum properante tempore, ad
B 3
PHY-